

*Instrumentum venditionis di
Francesca Moresio a favore di
del diacono Giacomo Pissitella*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Instrumentum venditionis di
Francesca Moresio a favore di
del diacono Giacomo Pissitella*

1317 [maggio 17-agosto 31]

† Anno dominice incarnationis millesimo trecentesimo septimo decimo, regnante domino nostro Roberto, Dei gratia invictissimo Ierusalem et Si[cilie rege, ducatus] Apulie et principatus Capue, Provincie, Forcalquerii et Pedimontis comite, regnorum eius anno nono, feliciter, [amen, mense... die...] eiusdem, quintedecime indictionis, apud Potenciam.

In presencia Bernardi de Comestabulo iudicis Potencie, Roberti de Lacupensuli puplici Potencie notarii et subscriptorum testium licteratorum de eadem terra Potencie ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, ego [Francisca mulier, uxor iudicis] Guillelmi de Brondusio de Montanea, habitatrix Potencie, iure romano vivens, sicut ceteri homines et mulieres dicte terre Potencie ab antico vixerunt et vivunt, vendo et trado tibi iacono Iacobo Pissitella, habitatori Potencie, ementi et [per fustem] recipienti pro te et tuis heredibus, iure proprio inperpetuum, domum unam meam quam habeo, teneo et possideo in terra Potencie in parochia Sancti Michaelis, [cum] omnibus accessionibus et ingressionibus suis, una cum consensu, voluntate, licentia et auctoritate dicti iudicis Guillelmi, viri mei, ibidem presentis et in ipso contractu consencientis ratum [et] firmum habentis, fines cuius domus sunt hii: a primo latere tenet Iacobus Moresius, mediante muro et pariete lignea comunibus, a secundo latere tenet Iohannes de Pantaleone et heres Laurencii de Lombarda, mediante quintanella comuni; a tercio latere tenet heres Guillelmi de Peregrina et Perna, uxor quondam dicti Guillelmi, a quarto vero latere tenet notarius Nicolaus de iudice Sanctoro, mediante quintanella comuni. Pro qua domo ego dicta Francisca recepi a te iacono Iacobo, nomine totius

precii vendicionis ipsius, uncias quatuor et tarenos viginti quatuor in karolensibus argenteis computatis per unciam sexaginta ponderis generalis. Renuncians exceptioni non numerate pecunie, non ponderati et electi argenti et omni legum et iuris auxilio, canonico et civili, propter quod dicta vendicio retractari posset sive infringi. Quapropter do et trado tibi et tuis heredibus omnimodam et liberam potestatem tenendi, possidendi, vendendi, donandi, permutandi, nec non et quocumque modo tibi et tuis heredibus alienandi placuerit domum predictam. Insuper repromicto tibi et tuis heredibus ipsam domum defendere et guarentire contra omnes homines, qui te vel tuos heredes molestare vel inquietare tentaverint more iudiciorum, et si ego predicta Francisca vel aliquis per me vel meos heredes contra te vel tuos heredes de predicta domo tempore aliquo presenti vel futuro venerimus aut eandem repetere vel subtrahere quesierimus ingenio sive causa aut eandem domum defendere et guarentire non potuerimus aut noluerimus ab omnibus heredibus, ut est dictum, augustales auri viginti nomine pene componere debeamus, medietatem ipsius pene predictae tibi vel tuis heredibus et alteram medietatem soluturam curie reginali, que pena predicta soluta vel non soluta, sit vendicione dicte domus nichilominus in suo robore perpetuo valitura, me predicto notario pro parte dicte curie et dictus iaconus Iacobus pro se et suis heredibus stipulantibus legitime penam ipsam. Preterea volo et mando quod quotiens expedierit dictum instrumentum reficere totiens refici valeat ad consilium sapientis, dum non sit mutata substantia veritatis. Insuper ego ipsa Francisca iuravi ad sancta Dei evangelia corporaliter libro tacto omnia et singula dicta superius firma tenere et non contrafacere vel venire, de iure vel de facto, in

iudicio vel extra, ingenio aliquo sive causa, fideiussorem exinde de evictione tibi posui Madium Moresium et Iacobum Moresium, fratres meos.

Unde ad futuram memoriam et tui dicti iaconi Iacobi ac tuorum heredum cautelam hoc presens puplicum instrumentum exinde factum est per manus mei qui supra Roberti puplici Potencie notarii signo meo solito, signo et subscriptione mei qui supra iudicis, signis et subscriptionibus nostrorum subscriptorum testium roboratum. SN † Bernardus scripto iudex testatur in isto. † Ego presbiter Guillelmus Caputus canonicus Potentinus et Muranensis cantor interfui. † Ego presbiter Manfridus clericus ecclesie Sancti Michaelis interfui. † Ego presbiter Girardus clericus ecclesie Sancti Michaelis interfui. † Ego Nicolaus de Plantidosa interfui.